DE INFLUENTIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
AUGUSTO ET POTENTISSIMO
PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO FRIDERICO
MAGNO DUCE SAXONIAE VIMARIENSIUM ET ISENACENSIUM
PRINCIPE LANDGRAVIO THURINGIAE MARCHIONE MISNIAE
PRINCIPALI DIGNITATE COMITE HENNEBERGAE DYNASTA
BLANKENHAYNII NEOSTADII ET TAUTENBURGI REL.
CONSENSU
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
IURIBUS ET PRIVILEGIIS
IN UNIVERSITATE IENENSI
RITE OBTINIENDIS
D. XXVII SEPTEMBRIS MDCCCXXXIV.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FLORENT. HERRM. SCHULZE
SAXO.

IENAE
TYPIS BRANII.

VIRO ILLUSTRI

EXCELLENTISSIMO EXPERIENTISSIMO

L. CHOULANT

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN ACADEMIA MEDICO-CHIRURGICA DRESDENSI INSTITUTI CLINICI MEDICI DIRECTORI COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI RELIQ.

PRAECEPTORI SUMME VENERANDO

DE SE MERITISSIMO

NEC NON

HUMANISSIMO

G. NAUMANN

AMICO DILECTISSIMO

HOCCE

OPUSCULUM INAUGURALE

GRATO PIOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

L. B.

Licet facili negotio singulare morbi exemplum eligere atque describere potuissem, ut saepius a tironibus in arte medica fit, satius tamen duxi, morbum describere, quem epidemice grassantem observavi. Simulac tamen operi me accingerem, probe vidi, illud multis obrutum esse difficultatibus, praecipue quod attinet ad originem et causas influentiae. Quibus amovendis quum multi

iidemque celeberrimi viri operam irritam navarent, equidem vix sperare possum, ut rem felicius persolvam. Itaque te rogo, L. B., ut benigne et indulgenter haec pauca accipias.

Influentia, epidemia perquam divulgata, ab Anglis *the influenza*, a Francogallis *la gripe* (*grippe*, *la folette*) ab Italis *Mazuchi*, ab Hispanis *Cocculucas*, a Russis *morbus chinensis*, a Germanis *Schnupfenfieber*, *Ziep*, *Blitzkatarrh*, *Modekrankheit etc.* nominata, est affectio membranae mucosae catarrhalis universalis, quae cum peculiari quadam nervorum passione, praecipue eorum qui a medulla spinali originem ducunt, conjungitur.

Pro tanta vero antrorum, sinuum et canalium, quorum superficiem membranae mucosae investiunt, extensione et varietate, pro insigni inter se ipsas et remotis cum partibus consensu, pro functione organorum diversa, pro corporis dispositione vel debili et laxa, vel forti et robusta, oportet morbum varia cum in locis affectis tum in variis hominibus producere symptomata.

Nosographia generalis.

1) *Symptomata laesae membranae mucosae.*

Symptomata, quae a membranae mucosae passione pendent, haec sunt: occlusae et siccae nares, sternutatio frequens, copiosa lacrymarum profusio, pruritus et ardor palpebrarum, susurrus et tinnitus aurium, propter tubam Eustachii affectam, faucium, uvulae, tonsillarum et pharyngis tumor, cum rubore parum intenso, pruritus et urens in larynge dolor, vox rauca, interdum aphonia, tussis sicca et molesta, respiratio plus minusve difficilis ac dolorifica, ardor et dolor abdominis, dysphagia, obstructio alvi aut sedes liquidae paucillo muco quandoque striis sanguinis commixtae, lotium cum muco albo spisso mixtum, titillatio urethrae vel vaginae, cum stimulo ad frequentem mictum, subinde liquidi serosi vel muci tenacis secretio.

Viginti quatuor circiter horis elapsis vel serius siccitas narium et laryngis evanescit, et destillatio liquidi serosi, subsalsi, acris e naribus incipit, et sputa aquosa, subsalsa, spumosa, cinerea, striisque interdum cruentis mixta ejiciuntur.

Post aliquot, nec certo tamen numero dies, i. e. in criseos vel lyseos stadio, materia utraque fit spissior, ejusque color flavus vel subviridis.

2) *Symptomata systematis nervosi affecti.*

Huc pertinet vertiginosa capitis obnubilatio et inde temulentia, ingens languor, dorsique lassitudo, horripilatio vel horror vehementissimus intrante morbo, sudor profusus, nec non vomituritio ac vomitus.

3) *Symptomata febrilia.*

Hic in censum veniunt pulsus plenus et frequens, congestiones sanguinis versus caput et pectus, inquietudo anxia et calor siccus. Attamen febris naturam et indolem temporibus epidemiae variis variam fuisse, ex omnibus medicorum observationibus et relationibus satis apparet.

Dispositio enim individui affecti, stationaria atque annua morborum constitutio etc. magnam ad epidemiae formam constituendam vim exercent. Quam ob rem influentiae formas pro complicationibus cum variis febribus,

ut a medicis claris sunt descriptae, constituamus hasce:

a) Influentia cum febre irritativa, symptomatibus catarrhalibus praevalentibus. Horripilationes sunt periodicae, vesperi tamen maxime occurrentes cum pulsu frequente sed molli. Typus totius morbi est remittens, exacerbationibus vespertinis et remissionibus matutinis sese prodens. Inter tres vel septem dies morbus judicatur lysibus febrilibus saepius repetitis. Haec morbi forma principalis seu canonica statuenda est, simulque est benignissima, quum febris re vera nihil aliud sit quam salutaris organismi reactio ad extinguendam et removendam materiam inficientem. Hanc epidemiae formam aptissime intercurrentem dicamus, cum eam ullo loco aut tempore prae ceteris viguisse nihil relatum legerimus. Facillime vero, praecipue si dispositio aliqua inflammatoria adest, ad febrem inflammatoriam seu synochalem crescit, vel complicationem init cum febre gastrica, statu gastrico praesente.

b) Influentia febre inflammatoria seu synochali conjuncta.

Ingentem horrorem sequuntur calor ar-

dens, cutis sicca et urens, lingua subrubra, siti aucta, urina rara, flammea, alvus plerumque adstricta, pulsus frequens, fortis ac duriusculus, congestiones activae versus pectus et caput, et quae inde profluunt, inquies, hyperaesthesia visus et auditus, interdum deliria furiosa. Typus subcontinens intra septem dies crisibus febrilibus, saepe epistaxi critica, judicatur, aut morbus, si protrahitur vel male tractatur, viribus consumptis in asthenicam (nervosam) febrem mutatur. Symptomata recensita satis declarant, hanc morbi formam prae ceteris requirere constitutionem sic dictam sthenicam, atque eo graviorem esse, quo magis haec topica dispositio sit expressa.

c) Influentia cum febre catarrhali rheumatica conjuncta.

Rigiditas ac dolor artuum, praecipue nuchae et regionis sacralis, horrores saepius intercurrentes, sudores profusi acidi vel efflorescentiae exanthematicae ceteris influentiae signis accedunt. Morbus typo remittente gaudet, atque intra quinque vel septem dies crisibus febrilibus, urina sedimentum roseum dejiciente etc. finitur. Quae quidem solemnis fuit epidemiae anni 1833 forma.

d) Influentia cum febre catarrhali aut biliosa conjuncta.

Apparet haec febris forma, prout in individuo status gastricus aut biliosus praevalet. Symptomata initio catarrhalia mox exquisite gastrica aut biliosa evadunt. Typus subcontinens, febrisque intra quatuordecim vel viginti et unum diem crisibus febrilibus et diarrhoea solvitur, nisi vomituritionibus et vomitu citius judicata sit.

e) Influentia cum febre nervosa connexa.

Febris nervosa primaria, nisi forte epidemia regnante constitutio stationaria sic dicta asthenica vigeat, rarissime et in hominibus admodum debilitatis tantum cernitur.

Symptomata influentiae essentialia.

Ex tam variis jam recensitis formis, sub quibus proteiformis ingreditur epidemia, facile apparet, essentialia morbi signa exhibitu satis difficilia esse. Si *Sinogowitz*, novissimae praesertim epidemiae formam respiciens, influentiam febrem catarrhali-rheumaticam declarat, *de Stosch* tres morbi formas rheuma-

ticam, rheumatico-nervosam et rheumatico-catarrhalem distinguit. Jam *Stollius* influentiam febrem catarrhalem nervoso-gastricam aut biliosam nominavit. Cum perillustri *Harlessio*, gravi certe in epidemologia auctore, Influentia febris catarrhalis typhodes aptissime definienda esset, si typhi nomen satis ambiguum eo sensu, quo auctor, sumseris.

Hanc quidem ob causam evenisse mihi videtur, ut tam multi artis medicae periti, qui de influentia scriberent, de vera morbi natura inter se dissentiant; quippe qui, complicationibus morbi perturbati, symptomata essentialia in quovis aegroto obvia non satis perscrutarentur. Quaevis enim epidemia utique certa seu essentialia symptomata secum ferre debet, quia ex una eademque causa originem ducit atque nutritur. Epidemia ipsa, cursum suum persolvens, usque dum causa, qua genita et nutrita est, consumitur aut retardatur, characterem pathognomonicum inter decursum semper prae se fert, eumque apud omnes aegrotos magis minusve apertum ostendit. Hoc verum esse omnes epidemiae, et tempore novissimo prae ceteris novissima Influentia demonstrant; nonnulla symptomata es-

sentialia morbi epidemici semper aderant, atque situs tantum loci, ratio vivendi incolarum varia etc. complicationes effecerunt, quibus omnibus eadem ratio medendi modo fortior modo debilior conveniebat. Jam vero, si influentiae praeteriti temporis epidemiae inter se comparantur, ut symptomata essentialia variarum epidemiarum eruamus, mihi quidem influentiae natura:

„in affectione membranae mucosae totius
„corporis catarrhali universali simulque
„peculiari quadam nervorum passione prae-
„cipue eorum, qui a medulla spinali ori-
„ginem ducunt,"

ponenda esse videtur.

Quam sententiam ad confirmandam essentialia influentiae symptomata accuratius contemplemur.

1) *Dolor capitis* gravis et durus, sensus gravitatis in sincipite, praecipue supra oculos, simul cum obnubilatione et calore.

2) *Vertigo*, quae tantum saepe gradum assequitur, ut aegroti, quasi ictu laesi concidant, nec lectum relinquere possint.

3) *Debilitas viriumque summa prostratio*

in omnibus certo aegrotis observatur, atque convalescentiam magnopere retardat.

4) *Facies influentialis*, pallida, collapsa, circa oculos lurida, cum pliculis inter oculos et os. [1])

5) *Vomituritio sive vomitus.*

6) *Tussis* molesta viresque valde exhauriens, initio morbi sicca, serius sputa spumosa copiose ejiciens. Prae ceteris ad imbecillitatem pectoris proclivis noxia est, duratque, symptomatibus reliquis remotis, per longum adhuc tempus, facileque efficit Blenorrhoeam.

7) *Raucedo.*

8) *Febris* quotidie remittens cum exacerbatione brevi, respiratione anxia frequenti, siti, obstructione alvi, pulsu pleno ac frequenti, sed molli, horripilatione, horrore et

---

1) Quod vero hanc faciem influentialem attinet, cujus *Radius* primus mentionem fecit, admonet me illius Lichtenbergiani: „*Wir glauben jedem uns bekannten Blinden von hinten ansehen zu können, dass er blind sey;*“ nam quid peculiare facies influentialis exhibeat prae facie (sit venia verbo) catarrhali eruere mihi nondum contigit.

calore. Febri catarrhali simplici satis forti simillima horrore tantum majore distinguitur. Ex aegroti constitutione, climate, statu aëris, situ loci etc. eveniunt vero complicationes phlogisticae, rheumaticae, gastricae, biliosae, nervosae, quas supra jam descripsimus, et quae haud paucos impulerunt, ut epidemiae naturam aut rheumaticam (*Sinogowitz, de Stosch*), aut nervoso-gastricam (*Stoll*), aut typhosam (*Harless*), aut phlogisticam (*Most*) nominarent.

9) *Sudor* profusus, copiosissimus, aegrotos nullo quidem modo levans, nunquam criticus, nam per diem observatur profusus, ita ut febrem adesse intermittentem putare possis.

Essentialibus his influentiae symptomatibus enarratis perscrutari oportet, quae ad membranae mucosae, quae ad nervorum affectionem pertineant.

Membrana mucosa corporis humani tam magnam superficiem obtegit, tam arcte cum cuti est connexa atque tam multis nervis vasisque sanguiferis est instructa, ut affectio ejus certo vehementiora gignere possit signa. Praemittamus vero brevem systematis membranarum mucosarum delineationem, ut, con-

ditione illarum cognita facilius symptomata Influentiae essentialia ad organa affecta referre possimus:

Totum systema in tres partes dividitur, quarum altera cavitatem oris nasique, superficiem bulbi oculi, pharyngem, arteriam asperam cum bronchis, oesophagum, ventriculum atque totum intestinorum tractum investit, altera apud virum per urethram, apud mulierem per vulvam ad omnia generationis et uropoëseos organa se confert, atque tertia omnium ductuum lactiferorum parietes obducit.

Superficies membranae mucosae, imprimis illius quae oesophagum atque tractum intestinorum investit, copia glandularum mucosarum scatet, ut secretione muci albi lubrica reddatur.

Praeter has vero atque vasa exhalantia et resorbentia membranae mucosae multo sunt sanguine praeditae, ita ut rubrum accipiant colorem. Rami vasorum sanguiferorum in toto corio mucoso fere innumerabiles, substantia ejus perforata, sese extendunt atque rete construunt. Nervi tandem membranae mucosae partim e cerebro originem ducunt,

partim et horum quidem major pars ad systema gangliosum pertinent.

Ad affectionem laesi membranarum mucosarum systematis pertinere mihi videntur tussis, raucedo atque febris, atque ex parte etiam dolor capitis. Cephalalgia per extensionem membranae mucosae nasi usque ad antra quae in osse frontis inveniuntur, magnamque vasorum sanguiferorum propagationem facile explicari potest. Tensio, ex siccitate harum partium orta, oppressionem affert, cujus vehementia major minorve erit, ad gradum febris comitantis, quae ob affectionem totius systematis semper adesse debet. Coryza quidem simplex non facile febre comitata est, nisi in individuis magnopere sensibilibus, licet dolor capitis verus aut oppressio sincipitis dolorifica non desit.

Porro tussis vehementia apud influentiam nullo modo in simplici affectione membranae mucosae, arteriae asperae ejusque ramificationum nititur, sed in epidemico morbi genio. Tussis enim in catarrho pectoris vehementissimo, ubi bronchi valde sunt affecti febrisque haud levis adest, aegrotum non tanto angit gradu, quanto tussis influentiam comitans, neque crisibus

absolutis ceterisque symptomatibus sedatis per tam longum temporis spatium remanere solet.

Quam ab causam non inepte videtur statuere, tussim atque oppressionem pectoris eximiam praeter affectionem membranae mucosae genio epidemico effici, praecipue quum omnes de influentia scriptores in hujus symptomatis gravitate consentiant. Quae quidem sententia imprimis eo firmatur, quod oppressio pectoris rarissime sanguine misso levata sit, quod certe in simplici inflammatione membranae mucosae fieri debuisset.

Febrem omnia febris catarrhalis gravioris signa comitari debere, facile intelligitur. Insignis tantum eo evadit, quod pulsus plenus et frequens, sed mollis est, quod horripilationes ad horrorem eximium, sicuti in febri intermittente increscunt, quodque exacerbationes sudoribus copiosis, aegroto nil levaminis praebentibus, minime finiuntur.

Jam veniendum est ad ea symptomata, quae cum peculiari quadam nervorum passione, imprimis eorum qui a medulla spinali oriuntur, arcte connexa sunt, vertiginem, faciem influentialem, debilitatem eximiam, vomitum et sudorem.

Vertigo ingensque capitis obnubilatio a multis medicis solummodo sanguinis congestionibus ad caput adscribitur; attamen in hanc opinionem exitus morbi minime quadrat. Quando enim vertigo, qualis in influentia observatur, congestionibus sanguinis procrearetur, saepius illam apud aegrotorum multitudinem encephalitis aut apoplexia sequutae fuissent, de quibus vero nil relatum legi. Consentiunt potius in eo auctores de influentia, febrem vertigine demum evanescente incepisse atque pro intensitate sua complicationibusve congestiones activas, epistaxi saepe judicatas, procreasse. Huc accedit facies illa peculiaris, lividus ejus color, summatim physiognomia hominis apoplexia nervosa afflicti. Porro pro opinione affectionis systematis nervosi debilitas viriumque summa dejectio militant. Optimi, qui de influentia egerunt scriptores, [1])

---

1) *Huxham*, Observatt. de aëre et morbis epidemicis, ab anno 1728 ad finem 1738. Plymouth. fact. — In Opp. physico-medic. ed. *Reichel.* Tom. I. Lips. 1764.

Ehrmann, *Joh. Fried.*, Dissert. de morbo catarrhali benigno hoc anno inter nos epidemico. Argentor. 1762.

hujus symptomatis prae ceteris mentionem faciunt, quamvis de causa ejus nihil afferant.

Omnes, qui a medulla spinali oriuntur nervi in duos ramos dividuntur, quorum anterior ramulis suis cum nervo sympathico maximo conjunctiones init, posterior in musculos colli, pectoris, dorsi atque abdominis se confert. Systema nervorum in universum atque imprimis nervum sympathicum maximum multum valere in actione vitali, satis constat. Nervus enim sympathicus magnus partibus suis cephalica, cervicali, thoracica, abdominali atque sacrali cum nervis cerebri aeque atque cum nervis medullae spinalis ganglia et ple-

---

Metzger, *J. D.*, *Beitrag zur Gesch. der Frühlingsepidemie im J.* 1782. *Königsberg und Leipzig.* 1782.

— — *Beitrag zur Gesch. der Frühlingsepidemie im J.* 1800. *Altenburg* 1801.

Stark, *C.*, Dissert. de catarrho epidemico anni 1782. Mogunt. 1784.

Wittwer, *Ph. L. über den jüngsten Catarrh. Nürnb.* 1782.

Wolf, *Horst*, *Klees*, *Kortum in Hufelands Journ. der practischen Medizin.*

Cohen, *die Influenza, besonders ihre Verbreitung in Posen im März und April* 1833.

xus format, quae multum faciunt in singulorum organorum vita.

Medulla spinali afflicta, nervoque sympathico maximo per consensum affecto, functiones systematis reproductivi, cujus membranae mucosae affectione catarrhali jam aegrotant, retardantur, eoque basis vis vitalis nutrientis aut physicae valde commovetur. Quo vehementior virium dejectio et vomitus atque quo copiosiores sudores aegrotum nullo modo levantes, cum frequenti et molli pulsu, eo tardius reconvalescentia procedit, eoque facilius morbus redit.

Divisio influentiae.

Quaenam sint formae influentiae variae secundum complicationes organorum praecipue affectorum, jam supra dixi. In praxi insuper pro intensitate morbi gradus quosdam distinguere solent, quorum tres proponuntur a *Mostio* [1]) et *Radio* [2]), imo quatuor a *Kesselio* [3]). Mihi duos tantum gradus obser-

1) *Most*, Influentia Europaea. 1820.

2) *Radius*, de Influentia morbi anni 1833.

3) *Metzger*, *Beitrag zur Geschichte der Frühlingsepidemie* 1800.

vare contigit, leviorem et graviorem, licet posteriorem cum *Radio* in magis et minus gravem dividere possis.

1) Levis influentiae gradus signa tantum offert praevalentia membranae mucosae afflictae, atque morbi symptomata praesentat haecce: Cephalalgiam, artuum dolorem et gravitatem, horripilationem cum calore variantem, tussim, nauseam, pulsum febrilem, somnum inquietum, siccitatem narium, levemque raucedinem. Quae morbi forma aegrotum per tres aut septem dies vexat; quo tempore peracto tussi sputa spumosa alba ejiciuntur, copiosique liquidi destillatio ex naribus siccitatem hujus organi et cephalalgiam levat. — Aegrotus lecto quidem non affixus est; sed ob majorem capitis oppressionem atque tussim morbum pro simplici catarrho sumere non licet.

2) Gravior influentiae gradus, ubi organismus ad extinctionem materiae inficientis valde reagit, vehementissima profert symptomata. Prodromis praegressis, intrante morbo multi homines quasi ictu caesi concidunt, neque aequilibrium tenere possunt. Caput est obnubilatum, ingensque dolor supra oculos in

anteriore frontis parte vexat aegrotum. Oculi perquam sensibiles contra lucem micant, et lacrymas effundunt. Membrana mucosa nares investiens sicca, crebrae sternutationes magnam illius irritationem probant, palatum, fauces et uvula rubent, multasque vasorum injectiones ostendunt. Larynx et arteria aspera tensa, vox rauca et oppressa, tussis sicca et in multis aegrotis vehementia sua sanguinem ejiciens. Oppressio pectoris magna cum constrictione praecordiorum. Lingua pura, aut muco albo obtecta, in apice et marginibus rubet, deglutitio saepius impedita, appetitus deficiens. Vomituritio aut vomitus, aut alvi fluxus. Summa virium prostratio artuumque dolores. Febris catarrhalis fortis, congestiones ad caput et pectus activas efficiens, cum horripilationibus, horrore et calore sicco, pulsus plenus, frequens et mollis, rarius duriusculus. Urina parca et flammea, aut multo muco saturata, aut naturalis. Sudores copiosi nil levaminis suppeditantes. Post aliquot dies siccitas narium et oppressio capitis dolorifica remittunt, tussis fit spumosa, spissa, vix autem rarior; quo facto una nocte morbus sine ullo symptomate critico evanescit, atque nihil re-

linquit, nisi tussim, virium prostrationem atque dolores artuum. Quam ob causam convalescentia per longum tempus protrahitur, aegroti omnem aëris mutationem sentiunt, ad vertiginosam capitis obnubilationem sunt proclives, viresque tardissime recuperant. Haec canonica morbi forma cum variis febribus varias init complicationes, quas supra jam descripsi, quarumque vehementia et vis inflammationes pectoris, apoplexiam, phthisin etc. pro afflicti individui natura viribusque procreare potest.

Restat ut commemoremus, morbum saepius perquam varium sese exhibuisse, ita ut febri non praesente ceterisque influentiae symptomatibus deficientibus, vertigo tantum sicut lassitudo demonstrarent, aegrotum re vera ab influentia esse correptum.

De origine influentiae.

Quum influentia morbus sit epidemicus, satius mihi videtur, de aetiologia causas morborum remotiores et propiores indagante in universum tacere, atque nonnisi deo rigine illius nonnulla adjicere. Jam vero minime sperare possum, me rem, quae omnes medicos adhuc fugerit, ad finem esse perducturum, quum hoc etiam

in casu pervaleat celeberrimi *Halleri* sententia: *oculis rerum primordia cerni non posse.*

Influentia morbus est, qui singularibus aëris mutationibus, temperaturae celerrime variatae cet., quod infra accuratius expositurus sum, ortum debet. Quae quidem mutationes, sintne cosmicae sive telluricae originis, non possunt non agere in vivum organismum, quippe qui vitam propriam degat, licet communibus naturae legibus obnoxiam. [1])

Historia influentialium epidemiarum docet, omnes fere in septemtrione ortas et in terras australes inde demum profectas esse; in regionibus borealibus hanc ob rem potentiae maxime pestiferae esse debent, quae ad influentiam procreandam prae ceteris inclinent. Quibus quidem potentiis adnumerantur: aëris electricitas [2]) in regionibus borealibus magis coacervata, celerior temperaturae mutatio, [3])

---

1) *Languth*, praes. *Crell*, Historia catarrhi a. 1782 epidemici. Helmst. 1782.

2) *Hopf* Dissert. sistens rudimenta theoriae de principio febres inflammatorias epidemicas gignente. Tubing. 1794. *Sprengel*, *Handbuch d. Pathologie Th. II S.* 120.

3) Jam Hippocrates (Lib. III. Aphor. I.) inquit:

lucis [1]) vividior potentia, cum sol in frigidis climatibus saepius per continuum tempus splendeat lumenque adauctum sensibilitatem reddat majorem, frigus acerrimum situ geographico exortum, quo materia aëris oxygenica augetur. Huc accedit, quod ventorum australium flatus montium tractibus, e. gr. monte Uralico, impediuntur.

Quum omnes naturae processus, qui normales fines quodammodo transgredi videntur, bonam hominum valetudinem afficiant, id intelligitur, causas commemoratas, nimirum celerrimam temperaturae mutationem, vehementissimam lucem, aërem oxygenio copiosissimo repletum cet. morbum, qualis influentia est, in septentrione gignere valere. Nam totius corporis superficies nec non respirationis organa, quae quidem internam continuationem repraesentant, atmosphaericis noxiis effectibus traduntur; qua re corporis superficiei, prae ceteris tamen respirationis organorum

mutationes temporum maxime pariunt morbos, et ipsis temporibus magnae mutationes frigoris et caloris, cetera ad proportionem hic similiter.

1) *Horn, über die Wirkungen des Lichts auf den lebenden menschlichen Körper. Königsberg* 1799.

normalis functio perturbatur. Ob irritantem harum causarum naturam febris procreatur, quam quidem perturbatio cerebri hisce de causis excipit. Morbo jam ineunte a nervo olfactorio noxia aeris potentia ad cerebrum, nervorum systematis basin, fertur, atque ita systema nervorum ipsum afficitur. Opponat mihi quispiam, incolarum septentrionalium acclimatisatione potentias illas pestiferas minui, et aliis etiam in regionibus, a causis his inficientibus maximam partem remotis, influentias ortas esse. At nonnullae certe causae majore aut minore gradu illic adesse debebant. Deinde historia satis probatur, plurimas influentiae epidemias in septentrione exordium cepisse, quia in his regionibus nominatae causae, quod ad quantitatem et qualitatem attinet, praevalerent.

Jam influentiam per singulas terrae partes, et quidem a septentrione ad meridiem transferri posse contagio, cui recipiendo corpus atmosphaerica constitutione disponitur, plurimae epidemiae influentiales comprobant. Quae quidem initio tantum miasmaticae, deinde, ut verisimile est, contagiosae fiunt, quia satis constat, morbos externe ortos, dum functiones normales organismi perturbant, conta-

giosam acquirere posse naturam. Et profecto sententia illa, morbum quemdam specificum externis effectibus exortum, dum organismos quodammodo permigrat, singularem productionis secretionisque modum provocare morbumque ab initio epidemicum simul etiam contagiosum reddere, optime quadrat cum illis, quae celeberrimus *Reil* [1]) hac de re proposuit. Ad contagium proprium statuendum impulit me tarda influentiae propagatio, quae, si potentiae nocivae in aëre tantummodo collocatae essent, celerior certo evenisset, deinde etiam observationes cum ab aliis [2]) tum a me ipso institutae, quibus apparet, homines, qui conspectum aegrotorum vitarent, a morbo non correptos fuisse. Sic in praeterita epidemia influentiali Tanglimiae (Anclam) in Pommerania in singulis domibus omnes incolas ab influentia correptos vidi, dum aliae familiae in eodem loco et sub eodem coelo viventes a morbo parcerentur.

Accedit porro alia ratio, cur influentia

---

1) *Reil, über die Erkenntniss und Kur der Fieber.*

2) *Wolf im prakt. Journal der Medizin von Hufeland.*

epidemice grassans contagiosis morbis adnumeranda sit. Quum enim e morborum catarrhalium eorumque gravissimorum numero sit, quumque satis constet, morbos catarrhales ad summum fastigium adductos inficere, eam morbis inficientibus jure adjicere possumus [1]). Quis enim nescit, morbos catarrhales per lectulos aegrotorum, per linteamenta etc. praecipue autem per oscula ad alios homines transplantari posse? Itaque quum influentiae contagium juxta potentias nocivas externas statuam, ut causas afferam, quibus influentia a septentrione saepissime propagatur, non necesse erit, quoniam gentes commercio junctae sunt.

Antequam originem influentiae mittam, res monenda est, quae in elaboranda dissertatione menti meae se obtulit. Influentiae quidem historia demonstrat, compluribus morbi epidemiis gravioris cujusdam morbi epidemiam antecessisse, cujus rei exemplum ante breve tempus cholera prodidit, cujus vestigia influentia sequebatur. Leniores igitur epidemiae influen-

---

1) *Choulant, Lehrbuch der spec. Pathologie und Therapie des Menschen. S. 287.*

tiales lethalium morborum epidemiis atque normali generis humani vitae interponuntur, et tali modo quasi transitum faciunt a maxime noxiis ad normalia. Quemadmodum autem apud omnia naturae producta transitus quidam observantur, a mineralibus ad plantas, a plantis ad animalia, sic etiam hoc in casu transitus reperitur epidemiae in epidemiam, quem quidem naturae altissime inhaerentem sensus nostri hucusque animadvertere nequeunt.

Prognosis.

Quamvis influentia in exordio saepe symptomata secum fert specie maxime periculosa, tamen cujusvis epidemiae historia docuit, decursum eam absolvere in universum benignum. Ceterum aliae epidemiae vehementiores, aliae benigniores fuerunt. Sic influentiae annorum 1742, 1782 et 1833 graviores erant quam illae annorum 1762, 1802 et 1831.

Prognosis influentiae in universum bona evadit; attamen stationarius genius morborum, incolarum ratio vivendi, ratio valetudinis cujusque individui, imprimis dispositio scrophulosa

et phtisica, rheumatismus, arthritis, graviditas epidemiam periculosam reddere possunt. Omnis homo, atque omnis aetas ab epidemia corripi potest et corripitur, attamen urbem incolentes ob majus inter se commercium vi inficienti magis sunt expositi. Diaeta salubris, quies atque vis medicatrix naturae leviores influentiae gradus curant, graviores tamen gradus et complicationes ejus cum variis febris formis curationem aptam desiderant.

Therapia.

Quamvis influentia satis late extenderetur atque innumeros homines lectulo affigeret, pro salute tamen hominum illius epidemiae, ut modo dictum est, quoad mortalitatem benignissimis adnumerandae sunt. Maxima aegrotorum pars sanitatem recuperavit. Natura sola morbo medetur, ad sublevationem tantum medico opus est. Fere semper ad gradum leviorem devincendum quies, diaeta haud excitans, cum infusione florum sambuci sufficiunt. Ubi febris tantum catarrhalis se ostendit, omnia in statu catarrhali adhibita adducantur medicamina. Decoctum hordei aut avenae excorticatae ad sitim pellendam, vapores ca-

lidi contra affectionem membranae mucosae narium atque pulmonum, vinumque antimonii Huxhami ad demulcendam tussim sufficiunt. Complicationes cum febre gastrica interdum emeticum desiderant, aut si alvi fluxus adest, adstringentia remedia pura, aut cum mucilaginosis mixta. Eadem ratione biliosa complicatio curatur, in qua extracto chelidonii cum magno eventu semper usus sum. Febris phlogistica praevalens cum inflammatione diaphragmatis semel tantum mihi occurrit, ubi ob inflammationem localem ex congestionibus omnino activis versus pectus ortam sanguis mittebatur, atque spasmodica tussis pulvere Doweri cum Camphora, simul cum remediis rubefacientibus, oppugnabatur.

Duos casus vidi, in quibus febris characterem nervosum induerat, verisimillimeque ob nimiam sanguinis missi copiam major etiam virium prostratio, quam ante sanguinem missum jam aderat, intrabat. Uterque tamen aegrotus rite curatus, ad reconvalescentiam pervenit.

THESES.

I.

Omnia graviditatis signa fallacia sunt.

II.

Febris nervosa est semper morbus adynamicus.

III.

Extractio cataractae posthabenda est ejus depressioni et reclinationi.

IV.

Interdum jus necis medico competit.

V.

Paracentesis thoracis in Hydrothorace summi pretii est.

VI.

Foetus in utero dissectio plane ex arte obstetricia rejicienda est.

6(7)